

in enuntiatis futuri temporis.

## CAPUT VIII.

Περὶ τῆς ἀντιφατικῆς ἀντιθέσεως in enuntiatis illis, quæ ex nominibus infinitis constant, in quibus nondum (est) dicitur tertium.

DICTUM est quo pacto enuntiata illa in quibus (est) secundum est seu alterum, non autem tertium, opponerentur inter se: item quænam sit vis ἀντιφατικῆς ἀντιθέσεως in enuntiatis futuri temporis. Superest ut, antequam ad enuntiata illa, in quibus (est) tertium est, transeamus, ἀντίθεσιν in enuntiatis illis consideremus, in quibus ipsum quidem (est) alterum est, seu secundum: sed ipsum nomen est ἀόριστον. In his etiam in primis habenda ratio est ἀντιφατικῆς ἀντιθέσεως, qua nimirum diiudicantur verum & falsum in enuntiatis omnibus. Quoniam igitur omnis affirmatio de aliquo aliquid significat, atq; illud vel est nomen, vel ἀόριστον nomen: quoniam etiam habentiam unum de uno in affirmatione dici oportet (nam & ipsum ἀόριστον nomē, ad ὅque ἀόριστον verbum unum significare diximus: καὶ γὰρ ἡ ἐπιφρασὶς εἰδὸς ὡς) efficitur omnem negationem & affirmationem, aut ex nomine & verbo, aut ex infinito nomine & verbo constitui: sic ut nulla absque verbo affirmatio aut negatio possit esse. Quavis enim (fuit, erit) sint πτώσεις verborum, tamen sunt ἐκ τῶν κειμένων, id est, ex illis quæ separatim significāt aliquid: nam ἕστια quædam prædicatur de subiecto, cum tempore: quare

c. iiii.